



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Dominica quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## Dominica IV. post Pascha.

## EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! non irascamur, aut contristemur, si Deus nobis subtrahat internæ gratiam devotionis, aut alias minus prævisas submittat adversitates. *Expedit enim, ut Christus vadat, & immittendo Cruces sese ad tempus abscondat.* Sic enim veniet Paraclitus, & suis nos visitabit gratiis. Carere Deo propter Deum, summa sanctitas est.

*Instructio meritoria.*

Ad impetrandam fortitudinem, & Christianam constantiam tempore tribulationis recitabimus *tres primas Decades* ex SS. Rosario Doloroso in satisfactionem omnis nostræ impatientiæ, & indignationis. Pati! pati! ô fili! non dejici!

## II.

**Q**uam rara hominibus veritas! plerumque hæc parit odium, & persecutionem. Fili! tu sustine, & sta pro Dei honore non quid iudicet, aut sentiat homo, attende; sed quid bona,

na, & recta dicet conscientia, exequere. Sic eris perfectus Christi discipulus hodie de seipso attestantis : *Ego veritatem dico vobis.* In schola Christi non datur nisi Veritas.

*Instructio meritoria.*

Ut maneamus perpetui veritatis, & Justitiæ cultores, persolvamus in honorem Verbi Incarnati 12. *Pater & Ave* cum totidem *Gloria Patri &c.* & osculis terræ. Premamus labia, ne devient in Verbo.

III.

**F**ili! judicabimur de peccato, & justitia. Credimusne hoc? cur ergo peccare non timemus? cur virtutem, & Deum non diligimus? arguamus jam nos ipsos, humiliando capita nostra, poenitendo de vita præterita, & iniquitates deplorando. Profectò sic nobis Dei tribunal reddemus propitium, Esto judex tui, & non erit Deus.

*Instructio meritoria.*

Ut timorem acquiramus perfectum omnis peccati, simulque cordibus implantemus radicalem amorem veræ sanctitatis.

ctitatis, & justitiæ, unam specialem visitationem Sanctissimi Venerabilis instituemus, & coram eo 33. *Pater & Ave* persolvamus expansis brachiis. Fili! quò proximior Jesu, eò remotior à peccato.

## Dominica V. post Pascha.

### EXHORTATIUNCULA I.

**P**ETITE, & dabitur vobis, non potest abstinere Deus, nec sese continere à nimia liberalitate; perpetuò cupit benefacere. Ideò nos exhortatur, ut sine intermissione oremus, quia sine intermissione vult dare, quomodo ergo irritum facimus votum Dei, & bonum nostrum, nihil petendo? fili! mendici sumus Dei; fiducialiter pulsemus; & aperietur thesaurus indeficiens. Magni Domini volunt rogari.

#### *Instructio meritoria.*

Verùm misereamur præprimis dilectæ Matris, Romanæ Ecclesiæ, pro cujus stabilitate, & incremento recitabimus coram Sanctissimo Altaris Sacramento (tempore tamen opportuno) *Litanias*  
de